

Et illi: Dicemus tamen etiam vegetabilibus inesse ignem?

Et ille: Verum dicetis: nam ex aeris calore in eo abscondito, quemadmodum significavi tenuem ignem aeri inesse, ignis illis inest, quia aeri inest ignis, & aer in vegetabilibus. De igne autem elementari per se loquendo, non inest, nisi spiritum & animam habentibus. Ex quatuor autem elementis homo creatus est. Intelligite igitur omnes, quod omne quod ex vna creauit Deus essentia, non occidit, aut moritur, nisi in die iudicij. Mortis enim diffinitio, est compositi dissolutio: Incompositi autem nulla est disunctio. Ex duob. autem, vel tribus, vel quatuor compositis, vnumquodq; compositum separari necesse est, quæ separatio mors est. Et scitote, quod quicquid ex solo igne simplici & tenuiss. creatum est, id neque bibit, neque comedit, neque dormit, sed quod ex spisso igne creatum est secus habet.

Inquit ARISLEVS: Magister, quia ad posteritatis utilitatem nos coadunasti, nihil quidem vtilius cognitione elementorum ad nostram notitiam peruenire potuit. At nunc cuperemus de occulta sapientia, propter quam excutiendam conuocati sumus, verba fieri.

Et ille: Dixi ante, quod Deus omnia, hoc est, quatuor elementa ex nihilo, deinde ex his omnia creata eduxit, cœlam, thronos, angelos, stellas, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et quia videmus quatuor illa elementa ferè inimica inter se, ideo creaturæ variæ sunt: Nam si ex eodem cuncta elementa essent creata, vnius essent naturæ, & conuenirent. Attamen & illa quatuor sic vniuit & copulauit Deus, vt pacem perpetuam obseruare necesse habeant: ita siccum humido, & calidum frigido sæpe miscetur, & conueniēter coit, & inde creaturæ exeunt, quæ preciosissimæ etiam sunt. Eorum autem elementorum quæ coeunt, duo videntur & tanguntur: duo verò non videntur neq; tanguntur. Quia si coniunguntur ea tantummodo quæ videntur & tanguntur, proculdubiò etiam reliqua commixta sunt, quæ duobus prioribus insunt: Aer enim de igne participas, etiam cum aqua commixtae quid habet, similiter & terram hæc

ram hæc